

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Initia doctrinae physicae**

**Melanchthon, Philipp**

**Francoforti, 1550**

**VD16 M 3471**

Quid est vacuum?

**urn:nbn:de:bsz:31-106565**

## LIBER II.

Enter, presenter, Deus est & ubique potenter.

Quam sententiam veteres Poeta multis modis recitarunt, ut Menander.

ὡάντῃ γὰρ ἔστι, ὡάντῃ καὶ βλέπει θεός.

Id est, Est etenim ubique, & omnia conspicit Deus.

### Dic Regulam de loco.

Natura abhorret ab his quinque, Primum, ab imo finita magnitudine.

Secundo, à Vacuo.

Tertio, à multitudinem locorum unius corporis, eodem tempore, id est, Natura negat unum corpus in diversis locis, eodem tempore esse posse.

Quarto, à penetratione dimensionum, id est, Natura negat dimensiones ita in unum locum includi posse, ne alia alijs cedant, ut digiti non possunt inseri ferro non cedenti.

Quinto, ab accidentium subsistentia, remoto suo subiecto, id est, Natura negat accidentia per sese subsistere, remoto suo subiecto, ut Aquae natura remota, non manet sola humiditas. Substantia lapidis remota, non manet sola durities. Has regulas recito nudas, ut iunioribus semper in conspectu sint, Nec tamen desunt eis rationes, sed comenti sumus univrsali experientia, quae perspicue testatur eas veras et perpetuum naturae ordinem esse.

Quid est Vacuum?

Vacuum proprie significat in physicis disputationibus, ubi nullum corpus est, quod intelligendum est, non

non ut uulgius intelligit, ubi non sunt crassa corpora, quæ sensu percipiuntur, sed simpliciter de omnibus corporibus, uidelicet, ubi nec aër, nec ullum aliud est corpus. De hoc spacio uacuo quaeritur, an in natura possibile sit.

Est ne Vacuum possibile?

Iucundissimum est uidere in natura tam certam esse corporum coagmentationem & continuationem, ut nusquam sit uacuum, ne fiant mundi corpora discontinua.

Nullum uacuum in natura.

Quod autem non sit uacuum, nec sit possibile, signum est illustre. Vacuum fieret discontinuatis corporibus. Natura non concedit discontinuationem corporum, potius enim graua sursum ascendunt, aut consistunt, quàm ut diuellantur corpora. Non igitur concedit uacuum.

Minor exemplis plurimis ostendi potest. In Aquæ ductibus aquæ sursum mouentur, ne fiat discontinuatio. In clepsydri summo foramine obstructo nihil de stillat, cum superius non subit aër. Pendet igitur aqua, ne, si cesserit, fiat uacuum. Non mutatur autem ordinatus motus grauium sine causa. Et hæc causa euidens est, Naturam fugere discontinuationem corporum. Epicurei defenserunt uacuum, & sinxerunt per omnia corpora sparsum esse, ut Lucretius lib. 1. inquit.

Nec tamen undiq; corporea stipata tenentur  
Omni natura.

Namq; est in rebus inanis.

Sec